



DIOGENES, Philosophus Cynicus, palliolum duplex ad frigus arcendum habuit, peram pro cellario, baculum pro corporis sustentatione. habitans in portarum vestibulis & porticibus ciuitatum, cibum emendicabat. cum se contorqueret in dolio, volubilem domum se habere iocabatur, & se temporibus immutantem: frigore enim os dolij vertebat in meridiem, æstate in Septentrionem. Cum Alexandrum cæteri Philosophi adiissent, Alexander hunc adiit: ad solem apricantem offendit, rogat Alexander reïne cuiuspiam egeat: cui Diogenes, parumper inquit à sole mihi secedas. Adeò hoc responso delectatum & admiratum ferunt Alexandrum, vt eo discedente, cum amici irriderent, ac per iocum morderent, dixerit: *Ego profectò nisi Alexander essem, Diogenes esse vellem.* Fertur cum aliquando videret puerum manu aquam haurientem, ac bibentem, vasculum quod ad bibendum gestabat, ab se abiicisse, cum natura manu tanquam ad bibendum instrumento, prouidisset. Vixit fermè nonagenarius. Pluta. in Alex. Dioge. Laër. hic ex ficu poma aliquando legebat: at custode dicente, huic ante paucos dies homo suspensus est, ego, inquit, illam purgabo. fuerunt autem Diogenes quinque. suppurationem temporum non est quòd hinc inseram, cum constet fuisse tempore Alexandri, de quo vide inferius.

CRAATES Thebanus, vt Philosophiæ vacare posset, magnum auri pondus in mare proiecit, *abite, inquiēs, pessum male cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.* Neque putauit, se posse virtutes & opes simul amplecti. Cice. in Paradox.